DE

DIABETE MELLITO.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

AD

SUMMOS IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE V. M. FEBRUARII A. MDCCCLXVII.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

FRIDERICUS CAROLUS LUDOVICUS HULD

SILESIUS.

OPPONENTIBUS:

J. SCHNEIDER, MED. ET CHIR. DR.
O. ZEDELT, MED. ET CHIR. DR.
G. LOESCHER, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI

TYPIS EXPRESSIT GUSTAVUS LANGE.

PARENTIBUS

CARISSIMIS, DILECTISSIMIS

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

OFFERT

AUCTOR.

DE DIABETE MELLITO.

HISTORICA.

Diabetes mellitus (sive glycosuria sive melituria), morbus ille quidem ad eas organismi humani perturbationes pertinens, quae non solum notatu sunt dignissimae, sed etiam, id quod doleo, maxime desperatae, quamquam omnibus temporibus animos medicorum ad se convertit, tamen saeculo demum praeterito diligentius pervestigatus atque eodem tempore saccharum in urina a diabeticis facta repertum est.

Noverant quidem jam medici antiqui diabeten, sed mirabantur tantum permagnam potus et urinae copiam Ipsum nomen διαβήτης proprie fistulam vel siphonem *(Heber)* significat et ob similitudinem in morbum nostrum translatum est, omnem urinae secretionem majorem indicans, nullo quidem sedimento demisso Jam Galenus, Aretaeus et Trallianus de diabete scripserunt. Quum Galenus imprimis edacitatem, sitim atque nimiam urinae secretae copiam propria hujus morbi symptomata haberet, Aretaeus etiam dolorem et in regione columnae vertebralis et in hypochondrio, qui plerumque in nucha inciperet, sed usque

in penem et praecipue quidem in mingendo irradiaret, animadvertebat. Paracelsus jam copiam materiarum solidarum, quae in urina diabeticorum contentae essent, constituit atque ad hujus morbi curationem saccharum in urina aegrotorum inesse nondum perspiciens praecipue caryophyllum, opium, camphoram adhibenda proposuit.

Nominatim autem medici Anglici saeculi et praeteriti et praesentis in morbo nostro exquirendo valde meriti sunt. Willis enim quum medici veteres diabeten nihil aliud haberent nisi morbum, in quo urina nimia redderetur, saccharum in urina a diabeticis micta semper reperiri atque maximi esse momenti primus intellexit. Sed saccharo non magis analysi chemica quam fermentatione explorato renes illud organum ducebantur, quod saccharum produceret. Rollo tamen non in renibus, sed in ventriculo saccharum procreari contendebat. Contra Frerichs noster hanc sententiam, quum nonnullos diabeticos observasset, quorum ventriculi obductione omnino intacti inveniebantur, minime approbavit. Tum demum vero, quum saccharum etiam in sanguine, in saliva, in pure abscessuum, in faecibus hominum diabete affectorum reperiri exploratum esset, renes hoc in morbo nihil aliud nisi organum excretionis repraesentare plerique intelligebant.

CAUSAE DIABETAE MELLITI.

Aetiologia diabetae melliti adhuc non satis constat. Prout causam morbi saepe perfrictionem repertam esse vult. Bernard casum narrat, in quo glycosuria post contusionem regionis hypochondriacae dextrae exstiterit, quare hanc contusionem causam diabetae perhibet in eo opere, quod inscripsit: „Leçons de physiologie expérimentale.“ Par. 1855. Ibi enim p. 346 ait: „on me citait dernièrement le cas d'un individu, qui avait reçu un coup de pied de cheval dans l'hypochondre droit, et qui à la suite de cette blessure avait présenté du sucre dans ses urines; mais ce symptome avait disparu, lorsque le malade avait été guéri de sa contusion, seulement il était resté polyurique.“ In nosocomio Parisiensi, cui Guy praeerat, glycosuria in infante fractura basis cranii illata statim post eam laesionem orta animadvertebatur. Atque certo constat, nonnunquam diabeten mellitum atque cerebri laesiones inter sese cohaerere. Sacchari, quod in urina aegroti hemiplegia centrali affecti antea non reperiebatur, non multo post copia magna inveniebatur mortisque causa fiebat. Saccharum vero in

urina hominum et arthriticorum et eorum, qui dyspepsia affecti essent, multo saepius exstare quam putemus, permultosque homines complures per annos vivere illo laborantes morbo, nec prius eum animadvertentes, quam urinae copia nimis aucta esset, Prout dicit. In libro, qui inscriptus est: „Clinique médicale“ (II. p. 166) Andral diabeten describit ex gastritide chronica ortum. Idem se in puella, quae longum per tempus gastritide chronica laboravisset, diabeten ex assimilatione valde perturbata natum observasse eumque iteratis sanguinis detractionibus in regione epigastrii, inunctione unguenti tartari stibiati, denique usu lactis feliciter sanasse contendit. Alii causam hujus morbi diaetam minime aptam nimisque luxuriosam judicant, permulti tamen in eo consentiunt, hereditatem causam existimandam esse. Saepissime sine dubio diabetes ex cerebri perturbationibus nascitur, ut e contentionibus immodicis, animi commotionibus, laesionibus et gravioribus et organicis. Neque tamen non commemorare velim, interdum syphilidem causam diabetae censendam esse.

DIVISIO.

Plurimi medici duas tantum diabetae species ponunt, diabeten mellitum a diabete insipido sive polyuria distinguentes. Frerichs vero quatuor diabetae species probat. Prima est illa affectio, ubi ½—1% sacchari in urina pulyuria exstante reperitur, quem quidem statum minime cum diabete mellito confundere debemus. Speciem secundam, cui Frerichs nomen melituriae intermittentis tribuit, eum dicit statum, ubi, dum febris fiat accessio, saccharum in urina exstet, quod in apyrexia rursus e conspectu discedat. Species terIia ea habetur affectio, qua longum per tempus constante multum sacchari removetur, dum cetera symptomata characteristica desunt. Quo morbo plerumque homines aetate provectiores laborant, sed cachexia in iis non observatur, quum organa digestionis res suas adhuc obeant; in hominibus autem catarrho gastrico affectis collapsus multo prius accedit. Quarta denique species ille est status, quem medici plurimi diabeten mellitum nominant. Quo in morbo ex assimilatione mox mutata cachexia exoritur, cui plurimi tempore brevi succumbunt; num prius, an posterius, id

et ex aetate aegroti, et ex quantitate missae urinae saccharique cum ea excreti pendet. Homines natu minores prius moriuntur quam majores, imo etiam nonnullis hebdomadibus interire possunt. Quo plus urinae redditur, eo citius exitus letalis adducitur, nam salibus perditis nutritionis perturbationes efficiuntur, quae perturbationes ansam tuberculosis praebent.

SYMPTOMATA ET DIAGNOSIS.

Prima symptomata, quae ab ipso homine aegro animadvertuntur, plerumque sitis atque fames immodica sunt, nec ita multo post aegrotus copia urinae valde adaucta sollicitus redditur. Nonnullis diebus ante idem etiam de perturbationibus ventriculi et doloribus quasi rheumaticis queritur. Cutis sicca, quae tactu sentitur tamquam charta pergamena, facillime desquamatur, adeps subcutaneus tabescit, sudoribus raris temperatura cutis plerumque inferior fit quam in statu normali; attamen et in morbo modo orto et in ultimis vitae hebdomadibus, quum phthisis accedit, sudor prorumpit satis copiosus. Postquam illum sudorem medici veteres signum crisis ingruentis habuerunt, nunc persuasum habemus, rem sese aliter habere. Omnia enim sanitatis revertentis signa tam incerta sunt, ut nonnullis victus vitiis spes valetudinis medico eripiatur. Saliva hominum diabeticorum, quae multum sacchari continet, quod in acidum lacticum immutatur, reactionem ostendit acidam, gingivam rubefacit ejusque efficit dolores, dentes corrumpit et laxat, odorem halitui impertit foetidum, gustum pervertit. Ceterum

qui diabete corripiuntur mellito, semper de sensu linguae et faucium sicco conqueruntur linguaque saepe utuntur fere rigida, quae rigiditas, ut veri est simile, ex musculis paralyticis evadit. Lingua aut involucro albo tecta et rimosa, aut in stadiis morbi posterioribus crusta flava et sicca obducta est. Plerumque lingua frigidior quam sani cujuspiam tactu percipitur,

Fluidi copia, quam aegrotus bibit, valde est aucta. namque per horas viginti quattuor fere septem vel octo fluidi libras capit, atque urinae copia ab fluidi capti pendet semperque hanc aliquanto superat, cujus rei causa inde repetenda, quod omnia nutrimenta aliquantum aquae continent. Itaque quotiescunque urinae copia minor quam fluidi capti inventa dicatur, Scharlau, qui longum per tempus mensiones instituit diligentissimas in multis aegrotis, quos curabat, aut medicum ipsum in fraudem incidisse, aut ab aegrotis falsum esse contendit. In posterioribus morbi stadiis diabeticus praeterea medico curanti habitum cachecticum praebet et vultu sollicito moestoque statum animi desponsum atque corporis molestiam et labores perspicue indicat. Macritas non minus ex permagna aquae consumptione, quae est perpetua, quam ex affectione telarum pendet, quem in modum aeger morbo progrediente et corporis pondere et viribus privatur. Permultorum autem hujus morbi symptomatum certissima

urinae et qualitatem et quantitatem esse pro explorato habemus. Quantitas quidem urinae ex ejus qualitate pendet. Utraque etiam efficitur, ut aegrotus ad morbum animum advertat medicumque consultet. Urinae copia satis convenienter cum sacchari secreti variat, ita ut sacchari remoti copia indicet, quanta gravitate sit morbus. Quo major quantitas sacchari, quod in sanguinem pervenit, eo major est copia fluidi, quo sanguis privatur, ut saccharum per renes pervadere queat. Atque etiam e sacchari copia declinatio ab statu urinae normali pendet. Plurimum sacchari, quod Pavy analysibus in fluidi uncia invenit, grana quadraginta septem erant. Uream, quam nos „*Harnstoff*“ dicimus, in urina diabeticorum desiderari, quod medici veteres contenderunt, medici recentissimi negant; imo hi in urina diabeticorum plus illius elementi invenerunt, quam in normali. Saccharum in urina contentum eandem densiorem reddit; ut fere fit, pondus urinae diabeticorum specificum inter 1030—1050 variat atque etiam majus fieri, curatione tamen idonea in fines normales redigi potest. Saccharum vero non sola causa haberi potest, quae pondus urinae specificum augeat, quum etiam res aliae vim in pondus augendum exerceant, quod exclusis nutrimentis vegetabilibus videre possumus.

Color urinae diabeticorum e copia secretae pendet;

plerumque ea paene decolor offertur. Aliud proprium illius urinae limpitudo habetur. Interdum diabete exstante in urina etiam albumen inventum est, sed id non est elementum necessarium. Accidere potest, ut quadam partis cerebri, aut et cerebri et renum affectione in urinam saccharum et albumen, quod elementum utrumque in urina normali non inest, transeant. Saccharum in urinam pervenire, quum certum quoddam punctum medullae oblongatae acu pungatur, inter omnes constat; neque minus, id quod Bernard invenit, albumen oritur, si regio pungitur, quae illa paullulo superior est, quam modo diximus. Quoniam in compluribus morbis aliis, quibus cum diabete mellito nihil est simile, saccharum etiam exstare potest, ad diagnosin diabetae melliti muniendam saccharum in urina repertum nondum sufficit. Saccharum enim, ut exemplum afferam, in urina hominum apoplexia vel furunculis malignis vel carbunculis affectorum reperitur. Quamobrem omnia tantum symptomata diabetae melliti, quae supra enumeravi, nos permovere possunt, ut morbum judicemus diabeten mellitum.

Ut autem constituamus, num urina ab aegroto facta saccharum teneat, complures methodi nobis suppetunt.

Primum explorationes chemicas earumque et simplicissimam et certissimam, quam Trommer invenit,

afferre nobis liceat. Ut fere fit, urina valde diluta adhibetur; scilicet nonnullae guttae urinae diabeticorum semiuncia aquae dilutae sufficiunt, ut reactio in saccha rum provocetur. Hanc mixturam in retortam vitream infundimus deindeque nonnullas guttas solutionis cupri sulfurici oxydati addimus, quo facto si retortam supra flammam spiritu factam aliquamdiu tenemus, mox fluidum subcaeruleum atque floccosum fieri videmus. Postremo decem aut quindecim guttas solutionis kali caustici admiscemus atque mixturam concussam iterum calefacimus. Fluidum, quod initio violaceum et serenum erat, turbari incipit et primum colorem flavum tumque fulvum recipit. Sedimentum depositum ex cupro sulfurico oxydulato constat, sacchari effectu ex cupro sulfurico oxydato reductum. Quum cuprum oxydatum, ut reducatur, certa sacchari copia indigeat, reagentium copiam quantitate urinae augendam esse liquet.

Altera methodus a Runger inventa est. Nonnullae guttae urinae inquirendae cum minimo acidi sulfurici diluti mixtae, quum in testa murrhina supra ignem evaporantur, saccharo in urina contento colorem ostentant fuscum, dum urina ab homine sano micta eadem operatione colore fulvo tingitur. Hac in exploratione providere debemus, ne saccharum in carbonem redigatur nosque ea re fallamur, quum etiam urina ab homine

sano reddita deflagratione elementorum organicorum colorem fulvum recipiat.

Tertia denique methodorum chemicarum, quas afferam, a Pettenkofer detecta est, sed paullum mutata adhibetur. Aliquantulum urinae perscrutandae cum nonnullis guttis bilis vitulinae aut bovillae commiscetur, deinde nonnullae guttae acidi sulfurici concentrati, quod acido sulfurato caret, adduntur, mixtumque in testa murrhina lente supra ignem calefit. Aqua fluidi evaporata id, quod in testa restat, purpureum induit colorem.

Praeter hasce disquisitiones chemicas etiam spectationem commemoratam volo, quae fermentatione instituitur. Sacchari in urina contenti fermentatio fieri potest, aut ipso fermento, quod in urina inest, aut postea addito. Tum sub temperatura graduum quindecim usque ad viginti quatuor acidum carbonicum et spiritus vini oritur. Nec minus bullulae acidi carbonici ex fluido escendentes, quam odor signa sunt certissima sacchari in urina contenti.

Postremo inspectionis physicae mentionem faciam. Urina diabetica vel saccharum, quod in ea exstat, efficit, ut planum polarisationis in latus dextrum declinetur. Optime ad id explorandum apparatu utimur a Biot invento.

Ut autem, quod magni est momenti, quantitatem

sacchari cum urina ejecti constituamus, complures methodos nobis adhibere licet. Omnibus tamen rationem apparatu polarisationis institutam, quum et exitus praebeat maxime promptos et ipsa sit maxime simplex, praeferendam esse puto.

Sine magna mora etiam saccharum ut corpus album ante oculos ponitur, attamen copia ejus, quum purificatur, aliquanto minuitur atque difficillime eandem semper sacchari siccitatem assequi possumus.

Quem ad finem urinam coctam filtramus filtrataeque aquam relictam in temperatura evaporamus, quae 40° R. superare non debet. Quod restat, id spiritu vini a ceteris elementis purificatur et tum saccharum sub antlia pneumatica acido sulfurico adjecto siccatur. Deinde e copia acidi carbonici fermentatione parti, aut per instrumentum, quod araeometrum nominamus, aut per apparatum a Biot constructum, quem supra memoravi, aut e quantitate cupri sulfurici oxydati reducti constituere possumus, quantum sacchari urina contineat.

Morbo longius progresso permagna corporis inclinatio ad inflammationes cutis existit. Quum inflammationem orificii urethralis, balanitidem, pruritum vaginae nulla re. alia nisi irritatione urinae effluentis procreari arbitror, erysipelas contra, furunculos, carbunculos, abscessus etiam in organis internis obvios,

gangraenam extremitatum, quae prius oedemate affectae erant, infectionem sanguinis indicare inter omnes constat. Eodem in stadio organorum sensuum affectio quaedam observatur, quae surditate et amblyopia musculis debilitatis producta indicatur, sicut impotentia virorum, quae impotentia jam mature ingruit, dum potentia in omnibus morbi stadiis raro permanet. Ultimis diabetae temporibus caligatio lentis haud raro accedit, quam caligationem saccharo in corpus inducendo artificialiter provocare possumus. Mitchell enim, medicus Anglicus, in experimentis, quae circa veneni, quod „Woorara“ appellatur, endosmosin per membranas animales instituit, forte reperit, certae syrupi copiae injectione subter cutem ranae nonnullis horis exitum letalem afferri oculisque speciem albam impertiri, quae e cataractis exortis pendeat. Effectus idem procreari poterat, quum ranarum oculi solutione sacchari irrigarentur atque memoria dignum est, cataractam illo experimento ortam disparere, ubi lentes per nonnullas horas in aquam positae sint. Fere pars dimidia omnium, qui diabete laborant, postremo tuberculosi pulmonum obeunt; interdum mors accedit, sub iisdem symptomatibus, quae in intoxicatione acuta observantur; saepe illa intoxicatio ex renibus morbo correptis emanat, nonnunquam tamen renibus intactis ex commutatione sanguinis nondum nota ducenda est.

Patientes, qui illo morbo correpti sunt, saepissime marasmo lente progrediente occumbunt, nonnulli vero sub symptomatibus apoplexiae cerebri intereunt, quamquam sectionibus extravasatum nondum repertum est.

Certissime tuberculosin, quae in acme demum morbi accedere solet, cum diabete complicari medicus curans sumere potest, quum tussis pertinax saepeque convulsiva incedat atque auscultatione et percussione eadem audiri possint, quae in tuberculosi pulmonum audiantur necesse est, praetereaque sitis atque fames usque ad id tempus immensae minuantur. Sputa, pulsus frequens, macies, sudores conficientes non diversa sunt ab iis, quae tuberculosin ingressam indicant.

Alii aegri affectione renum pereunt, dum albumen posteaque cylindri fibrini in urina reperiuntur.

Inspectione pathologico-anatomica commutationes cernuntur, quae aegroto jam vivente patefiebant, dico tuberculosin pulmonum, abscessus aliasque. Plerumque siccitas organorum internorum et cutis permagna est. Postquam Bernard hanc observationem retulit, medici imprimis ad statum hepatis animum adverterunt, quod Andral multo adauctum se invenisse ait, quod quidem inventum a medicis ceteris comprobari non potuit. Neque per microscopium ulla commutatio, quae magni esset momenti, detegi poterat. Grave Frerichs illud habet, quod in cellulis hepatis guttae adipis non ad-

erant. Renes, quando polyuria longius constitit, hypertrophici similiterque ut in morbo Brightii commutati reperiebantur. Medulla spinalis, quae tam mollis esse solet, ut fere diffluat, griseam substantiam offert atrophicam. Reactio sanguinis alcalica, neutralis, plerumque etiam orto acido lactico acida est. Serum, quod speciem fluidi lactei prae se fert, plus adipis quam in statu normali continet et numerum corpusculorum sanguinis alborum auctum esse medici plerique affirmant.

Quod prognosin attinet, primum aetas respicienda est; aegri natu minores celerius moriuntur, quam qui annum quinquagesimum jam superaverunt. Deinde non negligenda est copia et urinae secretae et salium in urina contentorum et cum ea secretorum, nam haec salia nutritionis turbationem efficiunt, quae tuberculosis ansam praebet. Semper prognosin malam perhibendam esse medicumque bene egisse arbitror, quum vitam aegroti nonnullos annos prolataverit; neque eum medicum, qui se morbum radicitus curasse asseveret, quum aegrotum post curationem finitam nunquam reviserit, sententiam proferre audacissimam negari potest.

THERAPIA.

Usque ad hoc tempus nullum remedium novimus, quo diabetes mellitus, postquam jam longius per tempus constitit, persanari possit. Omnia, quae medicus facere potest, eo continentur, quod symptomata atque atrocitatem morbi quam maxime mitiget. Qua ratione omnibus fere aegrotis per remedia, quae nobis suppetunt, vitam multo toterabiliorem atque aliquanto longiorem reddere possumus. Quod ut assequamur, ad rem diabetae curandi gravissimam, ad vivendi genus animum attendere debemus. In diabete enim tractando nihil aliud petere possumus, nisi ut patientis statum ita commutemus, ut quam maxime hominis sani similis fiat. Interdum nutrimentis, quae saccharum aut amylum continent, aegroto detractis in aliquod tempus omne morbi symptoma tollitur. In plerisque autem casibus victu sic immutato symptomata quidem eo leniuntur, quod copia sacchari excedentis multo imminuitur, sed saccharum ab urina removeri nequit. Porro abstinentia omnium nutrimentorum, quae aut saccharum aut amylum continent, aut quod fere idem est, solus usus alimentorum animalium ulti-

mis annis in diabete curando commendatus est. Etsi hac methodo efficiebatur, ut saccharum urinae minueretur, interdum adeo plane evanesceret, ea tamen per longum tempus adhiberi nequit, quum aegrotantes a nutrimentis modo animalibus mox abhorreant. Pavy, qui de diabete scripsit, aegrotos ait paullatim ad haec alimenta adsuefieri. Aegro, qui primum de sensu cujusdam vacuitatis ventriculi queritur, initio curationis majorem cibi copiam praeberi vult atque suadet, ut bis aut ter intra viginti quatuor horas pulvis unum opii granum tenens patienti detur, qua curatione illum sensum aegrotis maxime ingratum facillime removeri dicit. Necesse est, illa therapia, ex qua patientes alimentis tantum animalibus fruuntur, pondus urinae specificum aliquanto augeatur. Studebant medici quasi compensationem panis, quem aegrotos vitare volebant, invenire ac revera varia opera a pistoribus producta sunt, quae, quamvis panem plane compensare nequeant, numerum tamen alimentorum nonnullis augent, quae aliquanto sunt momento, neque sapore carent. Primum compensationis nutrimentum, quod vulgo nominatur „*Kleberbrod*", notum est. Ad quem panem parandum id adhibetur, quod folliculis cerealium oncluditur. Dr. Prout mixturam e furfure, ovis, lacte compositam laudat, quam recte paratam sudore carere negat. Dr. Camplin, qui hoc opus pistorium probat ejusque

commodum ipse observavit, idem paullulum commutatum torreri jubet.

Magnam operam etiam Pavy dedit, ut alimentum panis loco componeret, quod forsitan supra dictis etiam melius est. Animum convertebat in semina, quae loco amyli in cerealibus contenti olea tenent, atque amygdalas dulces omnibus praeferendas esse judicabat. Itaque elementa, e quibus amygdalae dulces constant, paucis mihi commemorare liceat. Amygdalae dulces non multum supra dimidium olea, fere ex quadrante emulsinum, e senis centesimis saccharum, aliquid gummi, cellulosae, aquae atque acidi acetici continent. Amygdalae dulces, ut ait Prout, gravia sunt nutrimenta, animum leniunt, sed propter oleum, quod tenent, difficile assimilantur, minime vero major earum numerus adeoque ab hominibus comesus, qui de assimilatione queruntur non nimis prospera. Si ab aegrotis amygdalae assumuntur, in modum adipum, qui a nonnullis auctoribus etiam remedia diabetae habiti sunt, effectum exercent valde faustum, quia et secretionem salivae augent eoque sitim maxime molestam minuunt, et sensum quasi vacuitatis ventriculi non minus ingratum removent. Rationem optimam, qua ea elementa amygdalarum, quae diabeticis noxia sunt, extrahantur, Pavy hanc affert: aquam scilicet bullantem, quae aliquantulo acidit artarici acida facta est, amyg-

dalis infudit pulveratis atque post aliquod tempus, fluido defuso, residuum ab iis elementis liberum accepit, quae diabetici valetudini nocere possunt. Substantiam insuper, quam hic experimento impetraverat, cum ovis commisceri mixtumque torreri jussit. Sine dubio hocce opus pistorium pani usitato simillimum est. Qui nihil sacchari cum nutrimentis in corpus inducere vult, non solum panem aliaque alimenta sive secali sive avena sive zea sive oryza facta, sed et fere omnia nutrimenta, quae maxime sunt usitata, vitare debet. Neque legumina, pisa, fabas, cetera, neque fructus amylum tenentes, cujus generis sunt farina cycae, farina radicis sagittalis, tubera solani, ceteri, edere debet. Recte contendere possumus, omnes fructus coloris albi plus minusve sacchari gerere, ita ut brassicae et capitata alba et botryitis, apium graveolens dulce, asparagus nutrimenta sint diabetico perniciosa; omnes autem fructus coloris viridis, ut spinaciam, nonnulla olera acetaria, sisymbrium, nasturtium a diabetico sine dubitatione edi posse. Omnia genera pomorum severe vitanda esse patet. Sed etiam potuum ratio habenda est. Quamvis lactis usus a multis, qui diaetam praecipiunt tantummodo animalem, commendetur, tamen ob saccharum in lacte contentum probari nequit. E numero potuum, qui fermentati sunt, ea vina atque spiritus frumento expressi in usum

permitti possunt, in quibus minimum sacchari inest. Vina dulcia dulcesque cerevisiae, ut Anglicae *porter*, *ale*, aliae, severe vitanda sunt. Aegro potus e coffea, thea, cacao coctus, sicut aqua Selterana et natronata concedi potest.

Praeterea in hoc morbo curando etiam indicationem causalem, ut syphilidem aliosque morbos, tollere debemus. Therapia vero radicalis nobis non suppetit, quamobrem optime ea diaeta, quam supra exposui, aegrotum uti jubemus, simul ei remedia praebentes alcalina, ex quibus remediis plerumque natron bicarbonicum adhibetur.

Pepsinum, quod a multis commendatur, spem fefellit, quam in eo medici posuerant; attamen experimenta eo facta nondum absoluta haberi licet. Acida imprimisque acidum phosphoricum nihil utique magni praestant; plurimum acida herbarum, quoniam urinam alcalinam reddunt, conducere arbitror. Tum medici diureticis conabantur renes irritare, rati illi quidem, ita functionem renum, si integri essent, reduci posse. Oleum jecoris aselli, calomelanem, bilem ovillam adhibebant medici, ut secretionem bilis excitarent. Narcotica, ut opium, chloroformium, etiam tentabantur atque in hominibus majoris sensibilitatis probari possunt, sed si diutius usurpantur, potius depressionem nervorum efficiunt, quam statum eorum corrigunt.

Mentione etiam dignum puto, aegrotos diabete laborantes immensam opii copiam tolerare posse. Casus narrantur, in quibus intra viginti quatuor horas gradatim non minus opii drachma praebebatur; imo patiens quidam singulis diebus nonaginta opii grana sumpsisse dicitur. Urinae copia mox quidem imminuebatur, sed ubi opium seponebatur, morbus celerrime recrudescebat atque aegroti perbrevi collabebantur. Remediis et tonicis et adstringentibus medici utebantur et assimilationem quidem corrigere, neque vero diabeten sanare poterant. Nec eam methodum diabetae curandi silentio praetereaam, cui nominatim medici Anglici dediti sunt.

Hi enim diabeticis aliquantum sacchari, sed paullulum fluidi porrigunt atque hac sola curatione statum omnium diabeticorum correctum esse affirmant. Pauca tantum ex commentatione a Piorry edita et inscripta „Cas de glycosurie traité par le sucre et l'abstinence des boissons“ (Gaz. des Hôp. 21. 12. 65.) excerpta afferre mihi liceat.

In viro viginti quinque annos nato post morbum febrilem symptomata diabetae melliti observabantur. Secundum anamnesin aegrotus ex uno anno et dimidio intra vicenas quaternas horas quatuordecim usque ad duodeviginti literas aquae hauserat, neque multo plus urinae minxerat. In urina, quae temporibus diversis

inspiciebatur, magna sacchari copia exstabat. Quum in nosocomium, quod vocatur „Hôtel-Dieu“, reciperetur, copia urinae octo literae diebus singulis, et sacchari plus quam octonae centesimae erant, dum aegrotus siti immensa vexabatur.

Piorry abstinentiam potuum praescribebat quam maximam aegrumque, ut sitis sedaretur, aquam limonatam e malo citreo factam et semper quidem haustibus parvis bibere jubebat. Hac in therapia quantitas urinae eodem tempore factae in literas quinque ascendebat; tum aegrotus plus quam libram sacchari aut glycosis in dies accipiebat. Unde sequebatur, ut non solum sacchari copia non augeretur, sed etiam aliquanto minueretur, etenim saccharum ab centesimis octonis usque in senas atque etiam plus recidit. Status patientis in dies emendabatur et quamvis hic ex eo tempore magnas portiones panis et sacchari assumeret, sitis tamen et urinae copia minuebantur, ita ut urina quotidiana quinque literas nunquam superaret. Aegroti vires reficiebantur multumque restitutus post tris menses e nosocomino dimitti poterat.

Henoch in opere „de morbis ventris“ scripto de hac curandi methodo fere sic disserit: non minus hoc casu, quam paribus medicorum Anglicorum observationibus vulgaris metus sacchari in diabete mellito adhibendi rejicitur.

Hac therapia id spectatur, ut potuum abstinentia quam maxima sitis, quae praecipue causa immensae secretionis urinae atque cũm ea sacchari est, imminuatur atque etiam saccharum perditum, quod corpori magni est momenti, alio in corpus inducto compensetur.

Plurimum etiam usus aquarum alcalinarum apud multos proficere potest, ex quibus aquis thermae Carolinae et Vichyenses maxime collaudandae sunt, et eae quidem suis locis bibendae; nonnullis vero diabeticis suadetur, ut etiam balneis utantur. Tametsi omnibus illis methodis status emendatur et exitus letalis protrahitur, tamen nulla earum diabetes radicitus sanari potest.

VITA.

Natus sum Fridericus Carolus Ludovicus Huld die XXVI mensis Maji anni MDCCCXLII Sagani, in oppido Silesiae inferioris, patre Carolo, matre Friderica e gente Seydel, quos parentes vivos salvosque per longum adhuc tempus Deus Optimus Maximus mihi servet. Fidei addictus sum evangelicae. Primis litterarum elementis Grunebergae imbutus gymnasium Zuellichoviense, quod auspiciis Cel. Hanow adhuc floret, sex per annos frequentavi. Testimonio maturitatis academicae instructus anno h. s. LXII inter cives academiae medico chirurgicae militaris ab Ill. Virchow, decano spectatissimo receptus sum ibique per octo semestria Ill. Grimm directore, Cel. Elsholtz subdirectore hisce nterfui scholis

Philosophicis:

Ill. Braun de botanice;
Ill. Dove de physice;
Ill. G. Rose de mineralogia;
Beat. E. Mitscherlich de chemica anorganica;
Ill. Peters de zoologia;
Cel. Werder de logice, de psychologia;
Exp. Sonnenschein de chemica organica, de forensi, de pharmacia.

Medicis:

Ill. Schultz-Schultzenstein de encyclopaedia medica, de pathologia et therapia generali;

Cel. Lieberkuehn de osteologia et syndesmologia, de anatomia organorum sensuum;

Ill. Reichert de anatomia speciali, de cerebrali, de anatomia comparata, de histologia, de embryologia, de physiologia generationis;

Ill. du Bois-Reymond de physiologia, de diffusione;

Cel. Troschel de fracturis et luxationibus;

Cel. de Lauer de semiotice, de theraphia generali;

Cel. Boehm de morbis dentium, de ophthalmologia, de aciurgia;

Cel. Schoeller de arte obstetricia;

Ill. C. G. Mitscherlich de materia medica, de medicamentis excitantibus;

Cel. Liman de medicina forensi;

Ill. Virchow de anatomia pathologica, de pathologia generali;

Ill. Hirsch de morbis endemiis et epidemiis;

Ill. Frerichs de pathologia et therapia speciali;

Ill. de Langenbeck de aciurgia;

Ill. Juengken de chirurgia, de corporis laesionibus;

Cel. Elsholtz de delectu tironum, de morbis simulatis ac dissimulatis;

Exp. Burchardt de morbis syphiliticis, de morbis cutaneis.

In exercitationibus practicis duces mihi fuerunt:

Cel. Boehm in operationibus chirurgicis et ophthalmiatricis;

Ill. Reichert in arte cadavera secandi et microscopio utendi;

Cel. Schoeller in operationibus obstetriciis;

Exp. J. Meyer in arte auscultandi et percutiendi;

Cel. Troschel in fasciis applicandis;

Cel. Liman et Cel. Skrzeczka in medicina forensi.

Scholis clinicis interfui medicis Ill. Frerichs, Cel. Traube, Cel. Ebert; chirurgicis Ill. Juengken, Ill. de Langenbeck; ophthalmiatricis Cel. Boehm, Ill. Juengken, Ill. de Graefe; obstetriciis Cel. Schoeller; syphiliticis Exp. Lewin.

Quibus viris omnibus de me optime meritis gratias ago semperque habebo quam maximas.

Jam tentaminibus et physico et medico, nec minus examine rigoroso coram Gratioso Medicorum Ordine superatis fore spero, ut hac dissertatione cum adjectis thesibus publice defensa summi in medicina et chirurgia honores in me rite conferantur.

THESES.

1. Methodus Davyana rheumatismi articulorum acuti curandi optima est.
2. Venaesectio et usus tartari stibiati inter pneumoniam prorsus rejiciantur.
3. Chloroformii usus apud parturientes non est reprobandus.